

stat; nisi quod idololatrae fuerint certum sit. Iurisiurandi sacramentum per animantia quaedam praestabant, sacrificarunt iuxta puteos, ad arbores, fontes et lapides oblationes fecerunt, id quod S. LADISLAI demum temporibus tantum abrogatum, si modo abrogari penitus potuit.*

§. 2.

Vt ordini hac in sectione III. lixemus, religionem Christianam considerabimus, *nascentem, crescentem, decrefcentem, renascentem*, a superstitionibus obscurorum seculorum *contaminatam*, seu *deformatam*, et tandem a superstitionibus *repurgatam* seu *reformatam*.

CAPVT I.

DE RELIGIONE CHRISTIANA NASCENTE.

§. I.

Nascens ecclesia fuit fec. X. sub GEYSA duce Hunnorum, qui circa an. 969. aut certe 971. fidem Christianam amplexus, atque ab ADALBERTO episcopo Pragensi salutari fonte ablutus, cultum veri numinis, abrogata superstitione propugnare, suosque inter propagare coepit. Doctores itaque e vicinis regionibus arcessiuit, quibus gentem suam instituendam commisit. In his doctoribus primas tenet S. PILGRINVS, episcopus Laureacensis, deinde ecclesiae Archiepiscopus, a quo, fociisque eius, multa Hungarorum

B 3

millia

* Vid. Decret. I. Ladisl. c. 22. 25. Conf. Capitula Synodalia Archiepisc. Laurentii Strigon. Metropolit. inter decret. Colomanni regis tit. de ritu gentilitatis. Conf. S. STEPHANI Decret. II. c. 31. 32. Vid. KEYSLERI antiquitat. septentr. p. 13. et p. 60. Conf. wöchentliche Anzeige in Halle, ad an. 1736. Nro. I. allwo der Hr. Kanzler von Ludwig sehr schön von Fontinalibus, Fontanilibus, Fontilibus oder Bronnenseyer der Römer, der Deutschen, Heyden und Christen handelt.